

MEMORIAE  
NOBILISSIMAE ac SANCTISSIMAE  
MATRONAE,

**CATHARINAE,**

nat. **LICHTFUSSIAE,**

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ac CONSULTISSIMI  
DOMINI,

**SALOMONIS**

**LÜTTKII,**

vixit in aetate.


PRAECONSULIS OLIM IN HAC CIVITATE  
REG. THORUN. GRAVISSIMI,  
RELICTAE VIDUAE

d. 1. SEPTEMB. ANNO MDCCCX.

BEATA MORTE SOPITAE,

SACRUM ESSE, FILIOSQUE LUGENTES ac COGNATOS  
RELIQUOS SOLARI VOLUERUNT,

RECTOR, PROFESS. ac VISITAT.  
GYMN. THOR.



THORUNII,

Impressit JOANNES NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNASII TYPOGR.

C 188  
C 188

ik.



Ad lacrymas iterum, Cives, tristesq; querelas,  
Quare iterum? Cum sint continua la-  
crima.

Quisque dies renovat luctus, est quisque ne-  
fastus,

Accumulata nimis funera quemque no-  
Prima dies alias Septembris Fausta putatur, (tant,

Quod Sancto in fastis est sacer Aegidio.

Is fuit, ut memorant, magna pietate decorus,

Tellure inclusus, nam domus, alta specus,

Heic miseram vitam toleravit lacte canino,

Quod tamen immitem reddidit haud animum,

Maximus eiusdem post velificatus honori est

Rex, quando illum aras iussit adire sacras,

Aegidio sit fausta dies, si fausta, quod illa.

Defunctus subiit recta beata Poli.

Ast infauſta dies, nati, ceu credo, dolentes,

Nam matrem Vobis abstulit illa piam.

O quam sollicitè vestram curare salutem

Annisa est, voti finis uterque fuit.

Ferrens ille foret, talem qui flere vetaret,

Qua nihil in vita dulcius esse potest

At tamen angores animi deponite inanes,

Nam sanctus matrem iussit abire Deus.

Hic suscepit eam, quo cum coniuncta manebat,

Invocat in vestra hic commoda quaeque Deum.

Quamvis velletis satis hanc deslere peremptam,

Ipsa tamen meritis exuperat lacrymas.

Mocissimo filiorum patri matrem optimam lugenti  
adess: his voluit

M. P. Jaenichius R.

*Ad Bigam Filiorum superstitum Nobilissimam Dn. Matrem  
inopina & præmatura morte exceptam  
acerbissime lugentium.*

**Q**uo, Mater generosa suo plus fovit amore  
Vos, quærens vestras utilitatis opes:  
Hoc votis Ejus mors inæstior esse putatur,  
Accumulat planctum, tristitiamque parit.  
Et quis profusas lacrymas gemitusque vetaret  
Natis, dum *Marris* funera mœsta gemunt.  
*Lüdtkia* pauperibus Matrem se præbuit almam,  
Hæc inimica malis, hæc & amica bonis.  
Quid memorem vitam sancta virtute coruscantem?  
Quid mores alios cum pietate graves.  
Fastum contempsit mundi, ludibria risit,  
Et voluit tantum posse placere DEO.  
Vestra salus, mandante DEO, pendeat ab uno hoc  
Filo, quo rupto, quis neget esse necem?  
Vos mater studiis morum formavit ab annis,  
Primis, consilio finxerat atque pio.  
*Optimus ille Parens subita cum morte recessit,*  
*Proconsul justus, candidus atque probus,*  
In se suscepit curam, *Lectissima Mater,*  
Vos educendi, quæ quoque laude viret.  
Natu majorem cum transmisisset *Apollo*  
*Lipsiacus, Matri est lata creata dies.*  
Nam non in tricis vel inanibus otia nugis  
Transegit, Themidos verus alumnus erat.  
Præsidium firmum sibi Jure paravit Utroque,  
Vera cui probitas religioque sedet.  
Ut (si livor abest) quam plurima commoda possit  
Natali largè ferre, referre, solo.  
Alter decurrit studiorum tramite recto  
Dimensum stadium, desidiamque fugit.  
Sed quis jam fulcro vos sustentabit honesto,  
Dum matrem raram trux *Ibitina* rapit?  
Ipse DEUS faciet. Vos huic committite curam,  
Et porro studiis invigilate probis.  
Is lacrymas oculis vestris absterget, & olim  
Post pluvias densas *Phœbus* amœnus erit.

Mœstissimo calamo  
app.

M. Martinus Böhm.

**N**Ecdum desinimus lacrimis communibus ire  
Exequias, justo sicque jubente DEO.  
Mors quoniam nondum cessat sœvire per urbem,  
Tabificâque domos contaminare lue.

Funera nec tantum lugent plebeja penates;

Ast etiam interdum funera magna gemunt,  
Namque hominum servile genus non plectitur unum,  
Ast hera cum famulis ac herus ipse cadit.

A famulis sœpe ad Dominos contagia serpunt,  
Inficiunt illos, sed prius hosce necant.

Lædere vicinos Physiçi contagia dicunt;  
Non dicunt, solis quâ ratione nocent.

*Lytkia* dividuam sicut viduam decet, egit  
Vitam, ridiculos nescia ferre jocos.

Tam cautè versata tamen contagia sensit,  
Quæ latissimè agunt, atque remota nocent.

Hæc, quoties poterat, templum devota petebat,  
Auditura DEI verba salutifera;

Numen & iratum complacatura precando  
Devot è, & vitam sponte trahendo piam.

Attamen hæc pietate nequivit flectere parcas,  
Parcere quæ jamjam dedidicere piis.

Quapropter Patris placidas cœlestis in ulnas  
Commendans animam, corpus humare jubet,

Jamque beata DEO devoto supplicat ore.  
Nati ut felices sint & in orbe diu.

*Idipsum etiam*  
Superstitibus atque mœstis simis

Filiis duobus  
apprecatur

M. Martinus Bertleffius P. P.